



Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

241. Humilitatem parvulorum imitandam esse.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

V. Dico autem vobis verè : *Luc. 9. v. 27.*
 Amen dico vobis, sunt quidam de hîc stan-
 tibus, qui non gustabunt mortem, *Matth.*
16. v. 28. *Marc. 8. v. 39.* *Luc. 9. v. 27.* do-
 nec videant regnum Dei, *Luc. 9. v. 27.* veni-
 ens in virtute. *Marc. 8. v. 39.* Donec vide-
 ant Filium hominis venientem in regno suo.
Matth. 16. v. 28.

MEDITATIO CCXLI.

*Didagma XLVII. Humilitatem par-
 volorum imitandam.*

I. Intravit cogitatio in eos, (*Apostolos*) quis
 eorum major esset. At Iesus videns co-
 gitationes cordis illorum, *Luc. 9. v. 46. &*
47. cum domi essent, interrogabat eos :
 Quid in via tractabatis ? At illi tacebant. Si-
 quidem in via inter se disputaverant, quis
 eorum major esset, *Marc. 9. v. 32. & 33.*

II. In illa hora accesserunt discipuli ad
 Iesum, dicentes : Quis, putas, major est in
 regno cœlorum ? *Matth. 18. v. 1.* Et resi-
 dens vocavit duodecim, & ait illis : Si quis
 vult primus esse, erit omnium novissimus,
 & omnium minister. *Marc. 9. v. 34.*

III. Advocans Iesus parvulum, *Matth.*
23. v. 2. & accipiens puerum, *Marc. 9. v. 35.*

sta-

D. N. IESV CHRISTI. 223

statuit eum in medio eorum, *Matth. 18. v. 2.* secus se. *Luc. 9. v. 47.* Quem cum complexus esset, ait illis: *Marc. 9. v. 35.* Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cælorum. *Matth. 18. v. 3. & 4.* Qui minor est inter vos omnes, hic major est. *Luc. 9. v. 48.* Quisquis unum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit: & quicumque me susceperit, non me suscipit, sed eum, qui misit me. *Marc. 9. v. 36.*

MEDITATIO CCXLII.

Didagma XLVIII. Cavendum à scandalo parvulorum.

I. **Q**ui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit. Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. *Matth. 18. v. 5. & 6. Marc. 9. v. 41.* Væ mundo à scandalis! Necessè est enim, ut veniant scandala: verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit. *Matth. 18. v. 7.*